

Nr 27.28. fehlt!

DISSERTATIO ACADEMICA
EXPONENS

20

T V M O R I S
HYDROPICI IN ABDOMINE
CVM FLATVLENTIA ET MOLA COMPLICATI
CASVM QVEMDAM NOTABILEM

Q V A M

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. A D A M O N I E T Z K I

PRAECEPTORE SVO OMNI HONORIS CVLTV
PROSEQVENDO

I N R E G I A F R I D E R I C I A N A

DIE XXIV. DECEMBR. MDCCCLXV.

H. L. C. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

PHILIPPVS DANIEL SANDRART

HALBERSTADIENSIS.

HALAE AD SALAM

TYPIS CVRTIANIS.

AVR. CORN. CELSVS.

Lib. I. Praefat.

Qui rationalem medicinam profitentur, non credunt, posse eum scire,
quomodo morbos curare conueniat, qui, vnde hi sint, ignoret.

V I R O
EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
IOANNI AVGVSTO
KEGELIO

MEDICINAE DOCTORI ATQVE POLYATRO
APVD HALBERSTADIENSES FAMIGERATISSIMO
FAVORI ET PATRONO
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA PROSEQVENDO.

Dum animum nunc induxi meum ca-
sum aliquem pathologicum notatu
A 2 dignif-

dignissimum pertractare, eiusdemque pertractationem typis excudendam sub forma dissertationis academicae, propediem a me ex cathedra publica contra doctorum dubia defendendae, committere: haud parum gauisus sum, quod occasio, quam dudum exoptavi, nunc mihi simul nata sit perquam opportuna, ad honoris ac reuerentiae documentum quoddam publicum
T I B I a me exstruendum. Nam et merita
T V A de bono publico multiplicia sunt; et quid mihi sequenti castra Aesculapii honorificentius accidere posset, si haec dissertatio academica, quam nomini T V O inscriptam esse volui, placeret, T V O que iudicio, quod maximum mihi erit, quia proficiscitur
tur

tur a summo in arte salutari magistro, comprobaretur? Per eam itaque, qua inter eruditos vel maxime fulges, humanitatem TE obsecro obtestorque, VIR EXCELLENTISSIME ATQVE EXPERIENTISSIME, vt has studiorum meorum academicorum primitias TIBI consecratas beneuole accipias, easdemque pro vero erga TE amoris mei honorisque signo habeas! Atque hoc si a TE impetrauerim: votorum meorum summam me attigisse arbitrabor ac complementum. Faxit DEVS T. O. M. quem supplex veneror, vt TE omni felicitatis genere exornatissimum per longam adhuc annorum seriem in commodum publicum conferuet! Ego vero nunquam desinam,

A 3

quam



quam diu TVVS ero (ero autem ad cineres
vsque), beneuolentiam TVAM, cui me vel
maxime commendatum esse volo, sibi ma-
gis magisque promereri! Quo animo per-
seuerabit

NOMINIS TVI

Scr. Halae ad Salam
die XIX. Decembr. c1010cclxv.

obseruantissimus cultor

PHILIPPVS DANIEL SANDRART.

DISSERTATIO ACADEMICA
EXPONENS
TVMORIS
HYDROPICI IN ABDOMINE
CVM FLATVLENTIA ET MOLA COMPLICATI
CASVM QVEMDAM NOTABILEM.

§. I.

INSTITVTI DECLARATIO.

Tantum abest, vt theoria morborum complicatorum satis iam exculta sit a medicis, vt potius illa admodum manca esse adhuc deprehendatur, ob sui tamen vtilitatem eximiam ardentiore studio dignissima. Cogitanti igitur mihi de specimine aliquo publico eruditionis medicae a me edendo, non poterat non sese mirifice commendare argumentum in praesente dissertatione pertractandum, quod perquam vtile.
nec

nec adeo vulgare mihi esse videbatur. Aperui hac de re animum meum excellentissimo praesidi. Et probavit praeceptor fidissimus propositum meum, cuius scholas medicas frequento, illoque duce ad strata aegrotantium accedo. Quam praeclaram, quae quotidie mihi suppeditatur, occasionem augendi acumen in obseruando eo lubentius arripio; quo certius persuasus sum, quod eiusmodi practica exercitia summae vtilitatis sint medicinae studiosis. Inde mihi iam innotuit casus iste notabilis, qui elaborationem dissertationis praesentis animum induxit meum. Curabo efficere, ut argumenti explicatio nec ordine, nec principiis congruis careat. Praemissa enim accurata descriptione casus, qui mihi nunc differendi ansam dedit, ad ratiocinia progrediar; singula expediturus, quae ad morbi theoriam pertinebunt, ea vero alia occasione tractaturus, quae ad eius sanationem respicient. Tu vero ALME DEVS adspira coeptis meis, et fac, vt cedant feliciter!

§. II.

§. II.

CASVS DESCRIPTIO.

Femina quaedam aetatis viginti sex annorum, et quod excurrit, habitus corporis laxioris, ante septem annos viro nupta, ex vtero quidem purgata ordini naturae conuenienter, nunquam tamen conceptionis aut puerperii negotio implicata, bona alias valetudine fruens, praeter omnem expectationem ante vnum et dimidium annum a febre tertiana corripitur, ad quam sanandam sese circumforaneo cuidam committit aegra.

§. III.

EADEM CONTINVATVR.

Vt aegrotantium fata dolenda sunt, si sub manus venerint imperitorum: ita hoc etiam in casu praesente abortum esse videtur. Medicafter enim efficit quidem, vt datis quibusdam remediis, post secundum paroxysmum febris tertiana non redeat, sed

B

potius

potius eam insequatur tumor totius corporis, vna cum virium nimia prostratione. Adhibitis iam aliis remediis cessit malum, ita, vt pristinae valetudini se restitutam esse existimaret aegra; neque ideo vltius protrahendum esse iter putaret, sibi adeo necessarium.

§. IV.

EADEM CONTINVATVR.

Illam iam pedibus se comittit, iterque istud quatuor miliariorum ingreditur, et quidem tempore fluxus menstrui. Vt vero feminam aliam sibi amicam prima iam luce peregre profectam, quam sibi comitem in itinere habere exoptavit, consequeretur: celeritatem in cundo quam maximam adhibuit. At ob solis temporisque aestiuæ flagrantiam sanguinem adeo exaestuauit, vt sudores largissimi prorumperent, ac fluxus menstruus plane supprimeretur.

§. V.

§. V.

EADEM CONTINVATVR.

Milliari vno vix confecto grauiffima incommoda corporis percipere incipiebat: qualia erant, spinae dorsi dolores, spasmi ad regionem lumbarem, tormina ventris, affectus colici ita incrementos, vt vix vltcrius progredi posset. Nihilo tamen minus iter propositum continuare sententia permanebat. Desideratam tandem itinere sui sociam consequitur, votorum suorum compos facta.

§. VI.

EADEM CONTINVATVR.

Refectis quiete somnoque corporis viribus, mensium fluxus antea suppressus iterum restituitur, isque per triduum continuus, et supra modum largus.

§. VII.

EADEM CONTINVATVR.

Sed ab hoc tempore (§. anteced.) eadem excretionis species iterum euanuit, cuius iam absentia extenditur ad spatium mensium septemdecim, et quod excurrit. Sicuti in genere defectum fluxus menstrui specie et gradu varia incommoda apud feminas insequi solent: neque mirandum erit, si etiam eiusmodi quid huic aegrae contigerit.

§. VIII.

EADEM CONTINVATVR.

Illi enim mox oboriebantur dolores capitis gravatiui et obtusi, faciei pallor, tumor ad tactum mollis circa hypochondrium sinistrum, ciborum fastidium, abdominis intumescencia, respirandi difficultas, omnium artuum lassitudo, dolores lumborum, vna cum anxietatibus ad praecordia, inprimis circa tempus solitum euacuationis menstruae.

§. IX.

§. IX.

EADEM CONTINVATVR.

Descripta in §. antecedente mala de die in diem magis magisque increfcere, nouisque augeri videbantur, fpafmorum ad dorfi et lumborum loca cruciatus fiunt faepius atrociffimi, tormina ventris aegram per intervalla haud leuiter torquent. Ingruunt denique motus febriles circa tempus vespertinum quotidie quidem, fed acerbiores femper die quouis tretio.

§. X.

EADEM CONTINVATVR.

Intumefcentia illa abdominis, quae adiuncta erat fuppreffioni excretionis menftruae, et fastidio ciborum (§. VIII.), grauiditatis oppinionem in hac femina pluribusque aliis fibi amicis concitauit; maxime, cum id adhuc contingeret, vt e mammis leniter compressis nonnunquam fluidum ferofum, inftar lactis admodum tenuis, prodiiffe deprehenderetur.

Quod plerumque fieri obseruare licuit circa excretionis menstruae tempus alias consuetum. Sed has spes fallaces fuisse, tempore constitit. Tumoris vero huius in abdomine conditio haec iam est: totum nempe abdomen ad sensum pallidum, frigidum, splendens, durum atque adeo expansum esse obseruatur, vt omnia vestigia umbilici et scrobiculi cordis plane periisse videantur. Proueniunt etiam per interualla tumores hydropicae indolis ad crura. Abdomine leniter concusso, prodit sonus aquae fluctuantis intra eius cauum. Atque hac concussione ita instituta, vt manum tangentem ad eam partem abdominis applices, quae concussae opposita est, magis adhuc percipitur motus iste aquarum fluctuantium. Porro hic deficiunt excretiones naturales, praesertim urinae. Et quod ad difficultates in respirando attinet, illae saepius nunc quam maximae esse deprehenduntur.

§. XI.

EADEM CONTINVATVR.

Obferuantur etiam ftrepitus in abdomine fere continui, qui quo magis increfcunt, eo peior aegrotantis huius feminae conditio fieri videtur. Volumen enim abdominis tumidi magnitudine ac duritie augetur; augentur fupra modum respirandi difficultates. Dum e contraria parte vtrumque mali genus imminuitur, atque ad meliorem ftatum res corporis in femina ifta redire videntur; abortis nempe vel ructibus, vel flatuum per anum feceffionibus.

§. XII.

EADEM CONTINVATVR.

Praeter haec omnia annotari tandem meretur fenfus ille ponderis ad pelvim, de quo conquerebatur haec eadem femina aegrotans. Videbatur hic ne neceffe fore, vt de vero vteri ftatu conftaret. Ablegandi igitur erant ad vteri vaginam digiti exploratores,

res, per quos iam sequentia cognoscere licuit. Os vteri iusto durius magisque densum erat; vterus ipse extensus erat, durus, et tactui non secus resistere videbatur, ac si in illius cauo corpus quoddam durum haereret. In vagina vero vteri nihil insoliti inueniebatur, quod annotatione quadam dignum foret.

§. XIII.

CONSECTARIM.

Quoniam ad tumorem hydropicum in abdomine requiritur, vt ille ibidem a fluidi lymphatico-ferosi coaceruatione perficiatur (per princip. Pathol.): nullum dubium erit, *quin eiusdem indolis tumor ille abdominis sit, quem exhibet casus nostri descriptio.* Nam hic satis manifestae sunt notae tumoris hydropici in abdomine; vtpote qui ad sensum pallidus et frigidus apparet (§. X.), et qui eo iam peruenit proh dolor! vt serum in cauo abdominis extrauasatum adsit ob deprehensas aquarum fluctuationes (§. citat.). *Sed et maxi-*

maximum gradum tumor iste hydropicus attigisse videtur in casu nostro, ut ideoque veram tympaniten constituat. Nam tumor hydropicus in casu nostro abdominis volumen exhibet perquam vastum, splendorem et duritiem prae fert (§. citat.).

§. XIV.

CONSECTAIVM.

Id etiam fieri deprehenditur in femina supra descripta, ut borborygmi in ventre prodeant, abdomine tumido ad volumen adhuc maius crescente; eodem vero mox decrescente, simulatque ructus, aut flatuum egressiones per anum contigerint (§. XI.). Quilibet igitur, vel me tacente, facili perspiciet negotio, non deficere hic intestinorum distensiones, ab aëre factas, consequenter, ut Pathologi dicere solent, *flatulentiam*.



§. XV.

CONSECTARIVM.

Qui ea accurate perpendit, quae in Physiologia traduntur, quae ad negotium conceptionis ex parte feminae necessaria sunt; eademque ad descriptas conditiones corporis in casu a nobis enarrato refert: illi non poterit non de eo constare; quod vix fieri possit, vt talis femina concipiat. Atqui haec si etiam conceperit: tunc necesse foret, vt foetus exclusionem natura solito ipsi tempore moliretur; quod vero in casu nostro non factum est, licet consuetum pariendi tempus iam dudum superatum sit (§§. II. VII et XII.). Consequens igitur erit: *duritiem illam, in utero expanso deprehensam* (§. XII.), fore quidem signum corporis cuiusdam duri in utero praesentis, neutiquam vero foetus, sed potius carni aut membranacei cuiusdam concretioni, quod generatim *molae* nomine venire solet.

Neque hanc nostram sententiam refellere valebit deprehensio liquidi ferofi, lac repraesentantis, effluxus e mammis (§. X.).

Verum

Verum quidem est, quod simile quid in mammis grauidarum contingat, hac tamen cum notabili differentia, vt id modo circa vltimos gestationis menses eueniat; vt iste effluxus continuet vsque ad tempus, quo foetus excluditur, eoque excluso perseveret; vt denique fluidum proueniens e mammis initio tenue sit, deinde vero magis magisque densum, vsque dum veri lactis speciem impetrauerit. Quotiesne etiam de virginibus plethoricis, castissimis alias, per obseruationes constat, quod iisdem talia e mammis liquidi tenuis et albicantis profluvia circa periodum menstruam oborta fuerint, praesertim concurrente catameniorum ataxia? Atque eadem quoque praeceptrice, experientiam puta, multoties innotuit, quod feminis male menstruatis, molam in utero gerentibus, eiusmodi profluvia humoris serosi e mammis circa menstruae euacuationis tempus sollemnina fere sint.

§. XVI.

CONSECTARIVM.

Hinc iam satis manifestum esse poterit ex §§. XIII - XV. quod casus, a nobis supra enarratus, exhibeat *morbi complicationem, constantem ex tumore hy-*

dropico abdominis, eoque intensioris gradus, flatulencia ac mola.

§. XVII.

S C H O L I O N.

Atque ita de veritate complicationis propositae in Dissertatione praesente satis iam constat (§. anteced.). Similiter etiam ex sequentibus elucescet, quod iste casus complicationis satis notatu dignus sit; quam primum euidum dederimus tanti mali causas et effectus. Quod nunc iam perficiendum erit in §§. sequentibus.

§. XVIII.

HYDROPIS IN CASV NOSTRO ORTVS A FEBRE
TERTIANA MALE SOLVTA.

Ex Pathologicis satis certum est, febres intermittentes, adeoque etiam febrem tertianam, tanquam illarum speciem, pro sui causa agnoscere vicidum

scidum quoddam, quod partim in ventriculo et intestinis, partim in iis visceribus abdominalibus haeret, quae prae reliquis in nexu sunt cum vena portarum. Si itaque ista materia viscida vel vi naturae, vel arte non satis resolvatur ac evacuetur e corpore: nullum clubium erit, quin inde stases et obstructions in visceribus abdominalibus oboriantur; idem frequenter confirmante experientia. Sed ab eiusmodi conditionibus viscerum hydropes prouenire solent, praecipue in abdomine; id commonstrante Pathologia; *veritati itaque conuenienter concludere credo, si in casu uostro a mala febris tertianae solutione hydropem abdominalem ortum fuisse, affirmauerim (§§. II et III.).*

§. XIX.

A NIMIA MĒNSTRVORVM EXCRETIONE.

Omnes excretiones supra modum excedentes hos prauios effectus edere solent, vt corpus inde admodum debiletetur, motus fluidorum retardetur,

C 3

stases

stases proueniant in vasis, praecipue minimis; atque hoc prae reliquis valebit de haemorrhagiis efferis (per princip. Pathol.). Praeter lergiffimos sudores (§. IV.) immodicam quoque sanguinis menstrui excretionem (§. VI.) in casu proposito descripta femina perpessa erat. Hinc necesse erat, vt ob vasorum vterinorum nexum, quem illa, cum vasis aliis viscerum abdominalium subeunt, ibi etiam magis prodirent stases, *ortui hydropis in abdomine haud parum patrociantes* (per princip. Pathol.).

§. XX.

A FLVXVS MENSTRVI SVPPRESSIONE.

Sed et e contrario *hydrops, praesertim in abdomine, oboriri poterit a catameniorum suppressione*. Naturae enim lex est apud feminas sanguinem superfluum quouis tempore menstruo per genitalia excernere. Quod si iam ista excretio sexui sequiori sollemnis decenti ordine ac quantitate contingat: illa
tunc

tunc eidem admodum salutaris esse deprehenditur. Obortis vero huius excretionis suppressionibus, inter alia fieri solet, vt sanguine menstruo ad lienem, haepar, atque alia abdominis viscera restricto, stases atque obstructions ibidem producantur, *hydropis caussae sat graues* (per priucip. Pathol.). Quae conditiones in casu nostro obtinent (§§. IV. V. VII et VIII.).

§. XXI.

A FLATULENTIA ET MOLA.

In euoluendis caussis affectus hydropici, in casu nostro oborti, *facienda quoque erit mentio flatulentiae et mola*; tanquam momentorum, quae vtraque ibidem obtinent (§§. XIV et XV.). Nam ob flatulentiam necessariae erunt intestinorum distensiones saepius perquam grandes. Atque ob mola-existentiam in vtero, hic etiam distenditur. Nonne ideo permulta vasa viscerum abdominalium comprimuntur? Nonne eiusmodi compressiones ad caussas

cauffas affectuum hydropicorum pertinebunt? Quod omnino ita se habere Pathologia edocet, fida obferuatio confirmat.

§. XXII.

A CONCVRENTE DISPOSITIONE.

Dispositionem ad morbum, praecipue contractam ex statu praeteritarum determinationum, id efficere Pathologia commonstrat, vt morbus pristinae speciei eo facilius iterum redeat, quam primum vna atque altera caussa ad illius procreationem idonea suborta fuerit. Atque *hoc momeutum in casu nostro locum omnino habebit suum.* Femina enim descripta laxioris habitus corporis est (§. II.); olim iam obnoxia facta tumori hydropico totius corporis (§. III.). Nonne ideo corpus admodum debile tam facile contrahere potuit tam grauem hydropem, sub eius caussarum, supra indicatarum (§§. XVIII - XXI.), accessionibus, deinceps factis?

§. XXIII.

§. XXIII,

CAVSSA FLATVLENTIAE.

Facile fieri potest, vt a febre tertiana, male soluta, intestinis inducatur atonia, eademque magis augeatur a catameniorum suppressione; facta nimirum sanguinis menstrui ad intestina restrictione, vt ea magis distendantur, debilitentur. Ambae hae conditiones locum inueniunt in casu, supra descripto (§§. III. IV et VII). Sed intestina debilitata aëri egredienti e massis, quae ibidem continentur, fermentantibus resistere non sufficient, hinc facile ab aëre distendi poterunt: vnde *flatulentia* necessaria erit (per princip. Pathol.).

§. XXIV.

VNDE MOLAE ORTVS.

Si in femina, virum admittente, conceptionis tamen impos ea conditio corporis obtinet, vt ibidem adsint caussae multiplices, a quibus sanguinis

D

conge-

congestionem ad loca vterina produntur: tunc omnino fieri poterit, vt ibidem quoque generentur concrementa carnea aut membranacea. Conditiones istae in propositione modo enunciata prolatae ad casum nostrum referri poterunt (§§. II - X.). Sed de eo, quod in propositione praedicatur, apparet ex obseruationibus pathologicis; quippe quae testatum fecerunt, humorum affluxum ad partem aliquam saepius infectam fuisse genesis nouae cuiusdam partis solidae superfluae. Quidni id etiam in vtero contingat? Natura enim amat legem conformitatis. Ex quo iam liquidum erit, ad quae iam momenta *ortus molar* in casu nostro rediturus sit.

Nimis longum foret atque a scopo nostro remotum, aliorum doctorum de eodem argumento recensere opiniones differentes. Cuius vero interest, hac varietate opinionum delectari, ille eorum scripta euoluat. Quorum e. g. pertinebunt DE LA MOTTE *tractat. de morbis mulier.* IO. MICHAELIS *Dissert. de mola.*

§. XXV.

IN CASV NOSTRO VNDE DYSPNOEA.

Inter alia ad respirationem bonae notae requiritur diaphragmatis motus liberrimus superiora et inferiora versus, nec non musculorum abdominalium decens constrictio ac dilatatio; id praecipiente Physiologia. Neutrum vero contingere poterit in hydrope abdominali intensioris gradus, quorsum casus noster pertinet (§. XIII.). Nam cavitatis abdominis hic nimis repleta est a sero ibidem coaceruato. Concurrit hic etiam flatulentia (§. XIV.), unde intestina valdopere distenduntur, vna cum distensione vteri, quae a mola ibidem haerente produci- tur (§. XV.). Quae singula efficiunt, vt omni fere spatio in cavitatis abdominis repleto, nascantur impedimenta, quo minus diaphragma ad abdominis viscera satis descendere possit; et musculi abdominales vim se contrahendi exercere nequeant. Ex quibus satis dilucide cognoscere licebit: *maximas respi-*

ranti difficultates hic fore necessarias. Quam inde plura alia, eaque summi momenti mala proueniant in corporibus hydropicis: illi haud difficile erit ad intelligendum, qui respirationis effectus in ratione ad vitam et sanitatem intelligit.

§. XXVI.

VNDE ANXIETATES PRAECORDIORVM.

Anxietates praecordiorum tunc semper oboriuntur, quando vnus atque alter casus in corpore humano contingit, vt ventriculi cordis a sanguine nimis distendantur, atque haec illorum distensio per aliquod tempus perseueret; id praecipiente Pathologia. Sed hoc iam necesse erit ob difficultates in respirando, quae in casu nostro non deficiunt; accedentibus praecipue compressionibus partium, in abdomine contentarum (§. anteced.). Vnde iam satis constare poterit de *anxietatibus praecordiorum* in casu supra enarrato ortis.

§. XXVII.

§. XXVII.

VNDE COLICA.

Dolores colici in subiecto illo, quod in historia morbi describitur necessariae erunt (§. V.) ideo, quia illud flatulentiae obnoxium est, unde fit, vt intestina inde saepius tantopere distendantur, vt illorum continuum solui attentetur, et dolor inde percipiatur, quem colicae nomen imponere solent Pathologi.

§. XXVIII.

VNDE DOLOR AD LOCA DORSI ET LUMBORVM.

Ex Pathologicis constat, productis in regione lumbari compressionibus, produci ibidem spasmus; atque hoc producto ad intensiorem gradum, spasmus quoque occupare loca dorsi. Hinc liquida iam erit *ratio horum spasmodorum in casu nostro abortorum (§. V.)*.

§. XXIX.

VNDE CAPITIS INCOMMODA.

Cum ab humorum ad caput congestionibus eius dolor atque alia incommoda prouenire soleant (per princip. Pathol.): nec mirum erit, *cur eiusmodi quid in casu nostro subortum fuerit* (§. VIII.). Nam ob spasmos ad lumborum et dorsi loca (§. anteced.), et vasorum in abdomine validam compressionem, eamque necessariam propter intensioris gradus hydro- pem abdominalem, flatulentiam et vteri distensionem a mola factam (§§. XIII. XIV et XV.) humorum congestiones ad caput facile produci poterunt.

§. XXX.

VNDE SVPPRESSIO VRINAE.

Ad vrinæ excretionem inter plures alias conditiones requiritur, vt liquidî huius excernendi nullus defectus adsit in organis excretoriis, atque hæc ipsa liquidî excernendi aditum ad se admittant (per princip.

princip. Physiolog.). Prior conditio adest in affectibus hydropicis generatim; ob ferum in aliis locis corporis valde coaceruatum: posterior vero obtinet in hydrope abdominis, ad intensiorem gradum perducto; inprimis sub flatulentiae et molae accessionibus, prouti hoc momentum casui nostro competit (§. XVI.). *Conspicua inde iam erit imminutae excretionis urinae ratio.*

§. XXXI.

MOTVVM FEBRILIVM RATIO IN CASV NOSTRO.

Obstructiones ac distensiones, quae in partibus internis oboriuntur, frequentem sibi comitem habere solent spasmus periphericum, nec non caloris augmenta, illum saepius insequentia; (per princip. Pathol.). Quibus phaenomenis deprehensis, motus febriles adeste putantur. Quodsi iam ea accurate considerentur, quae in peculiaribus quibusdam §§. hucusque disputauimus de morbi enarrati in casu nostro specie, causis ac effectibus: tunc facili negotio

tio intelligere licebit, quod hic non deficient obstructions vel distensiones partium internarum, *adeoque causae motuum febrilium* (§. IX.).

§. XXXII.

VNDE ILLORVM AVGMENTA DIE TERTIO.

Sed unde fit, vt motus isti febriles die quouis tertio acerbiores esse deprehendantur (§. IX.)? In Pathologicis ad ductum obseruationum principii huius veritas euincitur: quod nempe a qualitate causae febrilis, eiusque sede legitima fit consequentia ad febris speciem. Quo supposito: facile nunc iam erit ad intelligendum, cur commotiones febriles die quouis tertio magis auctae esse videantur in hac femina aegrotante. In ea enim adsunt obstipationes viscerum abdominalium, lienis praecipue, vt apparet ex §. VIII. Ea etiam obtemperare cogitur incommodis ex mala febris tertianae solutione oriundis (§§. III et VIII.). Materia obstruens parum recedit ab ea qualitate, quam
habet

habet materia februm intermittentium; illius sedes congruit, cum ea, quam sibi febres tertianae vindicare solent. Ex quibus itaque conficitur: *neesse esse, ut motus febriles in casu nostro, praeter id, quod febrem lentam referre soleant, simul etiam febris tertianae typum repraesentare videantur; consequenter illorum aggressio acerbior sit:* pro more februm complicatarum, quae ratione temporis, quo inuadunt, inter se conveniunt.

Quam in rem conferri merentur solidissimae meditationes viri incomparabilis, D. GÖNNER, quas ille in *Differt. de motibus febrilibus februm intermittentium indoli analogis*, proposuit, atque eodem Praef. excell. ex cathedra academica publice defendit.

§. XXXIII.

SCHOLIUM.

Mihi iam videor praecipua momenta adduxisse, quae ad morbi propositi in casus descriptione

E

spectant;

spectant; iis consulto omiſſis, quae partim per se facile patent, partim ex adductis facile intelligi poterunt. Nam et hoc ipsum phaenomenon lactis spurii effluentis e mammis (§. X.), quod singulare esse videtur, ex iis locis dissertationis meae explicari poterit, ubi nimirum sermo intercurreret de causis in abdomine praesentibus, a quibus humorum congestio thoracem versus dependet; hic simul vocatis in subsidium principiis quibusdam physiologicis, ad intelligendum secretionis negotium congruis. Restat, ut illud iam a me proponatur momentum, quod adhuc deficit, ad theoriam tamen argumenti pertinet. Atque hoc respiciet fundamenta prognos in casu haecenus tractato formandae.

§. XXXIV.

P R O G N O S I S.

Principia prognos hic invenire licebit, rite consideratis iis, quae de istius morbi complicati
vera

vera indole, cauffis et effectibus haftenus propofui. Morbi complicati in genere grauioreſ ſunt iis, qui tantum ex vno morbo idiopathico cum ſuis ſymptomatibus conſtant; hinc etiam periculoſioreſ erunt multiſque impedimentis ſtipati, quo minus facilem exoptatamque nanciſcantur ſolutionem. Atque hoc in ſpecie *de caſu noſtro notandum erit*. Hic enim adſunt laeſiones viſcerum abdominis, hydtopis ibidem oborti cauffae admodum fonticae, et quae magis adhuc augentur a flatulentia et mola; ab iisdem quoque cauffis ſummae reſpirandi difficultates dependent, defi- ciunt excretiones ſeri; deprehenduntur iam in abdomine fluctuationes aquarum, quae ibidem putreſcere poſſunt, ſtatumque viſcerum multo deteriorem redde- re: de ſingulis hiſce momentis conſtat ex ſuperioribus. Quae cum ita ſe habeant, non poterit non de euentu huius morbi ſequens formari iudicium. *Quodſi nempe id contigerit, vt priuſquam aquae putreſcant, excretiones naturales, per quas ſerum e corpore educitur, redirent;*



36 DIS. ACAD. DETVMOR. HYDR. IN ABDOM. CVM FLATVL. ETC.
iisque praesentibus *tumor hydropicus in abdomine decre-
ret; respiratio fieret libera atque expedita; vires corporis
augerentur: tunc bonus euentus morbi praedicendus erit.*
Sed quantae in casu nostro difficultates, quas natu-
ram superare oportet, priusquam hunc felicem euen-
tum morbi expectare liceat!

§. XXXV.

S C H O L I O N.

Quid vero ars valeat ad istas difficultates im-
minuendas, iuuandamque debilem naturam corpo-
ris: de eo impraesentiarum dicere a scopo meo alie-
num est. Nam mea nunc modo refert, vt sub prin-
cipio dissertationis indicaui, circa partem argumenti
theoreticam versari, atque illa iam pertra-
ctata facere differendi.

F I N E M.



NOBI-

NOBILISSIMO
RESPONDENTI


S. P. D.

PRAESES.

Reddo TIBI nunc dissertationem, quam mihi perlustrandam corrigendamque commisisti. Intellectis iis finibus, quos TIBI circa illius elaborationem proposuisti: opusculum TVVM nec imminuere, nec rebus augere volui, quae pertinere viderentur ad argumenti tractationem. Nam TIBI nunc modo animus erat explicandi potissima momenta morbi complicati, de quo differendi TIBI occasionem dedit casus feminae cuiusdam hydropicae, quae curis nostris subest: id quod etiam a TE bene peractum esse deprehendi. Non dubito igitur fore, ut hoc a TE editum eruditionis medicae specimen publicum omnes boni mecum probent, insimulque optent, ut laudabile exemplum TVVM ad plures alios iret, qui quidem studio medico nomen dederunt suum, eo tamen parum enituntur, ut ardore perdiscendi artem salutarem, ingenio ac virtute sese distinguant

E 3

ab



ab illo hominum genere, quod incultum, quod vecors est, quod temerarie solet irruere in sacraria Hygeae, quod Doctoris dignitatem venalem esse, eamque facilius argento, quam meritis comparari posse, nec ideo opus esse arbitrantur certis doctrinae ac meritorum suorum documentis. Sed TE iam sentire laudabilius, DOCTISSIME SANDRART, factis probas. Ob quod ego vna cum Praeceptoribus TVIS, quos partim in inclyta Academia Lipsiensi habuisti, partim quibus nunc vteris in hac celebri Musarum sede, valdopere gaudeo, TIBI que de praesente eruditionis TVAE specimine publico ex animo gratulor! Gratulor etiam CARISSIMAE MATRI TVAE de filio tam praeclarae indolis! TV vero, AMICISSIME SANDRART, perge eo, quo haecenus fecisti, studio artem salutarem percolere, persuasumque habeas, fore, vt inde tandem ad TE redeat verus honor ac emolumentum maximum! Agedum! conscende nunc iam cathedram publicam, quorsum TE eo lubentius comitabor, quo certius spero, futurum esse, vt TE in dissertatione TVA defendenda virum praestes; dum saepius in exercitiis disputatoriis priuatis ostendisti, TE non esse hospitem in arte disputandi. Faxit DEVS T. O. M. vt omnes conatus TVI succedant feliciter! Vale, meque amare perge! Scr. in Acad. Frider. ad diem xx. Decembr. cIoIoCCLXV.



VIRO

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

S A N D R A R T

PVBLLICE DISPVTATVRO


S. P. D.

IOANNES NICOLAUS WEISSER,

● P P O N E N S .



Ego vero, AMICI OPTIME, cum iam in eo sis, solidioris TVAE, qua in scientiis medicis polles, eruditionis publica daturus documenta, medicam vt animum pares conscendere cathedram, et quod TVAE in me benevolentiae atque amicitiae signum est luculentissimum, litterati TVI certaminis testem aequae me nuncupes ac aduerfariū; non possum, quin TE quas scripto TVO pathologico adiectas esse cupio, comiter litteralis, non, quod et singularis TVAE modestiae et amicitiae inter nos mutuae ratio prohibet, omnis generis vt laudes, quas ob praeclaras animi TVI dotes optime mereris, praedicent, sed eo potius sine conscriptis, animi in TE mei, quo TE a quo primum die mihi cognitae fecisti, hucusque profecutas sum publicum vt aliquod extet testimonium. Deinde credidi esse mihi, qui

TE



TE omnium maxime non diligo solum sed amo, dedecus, non interesse iis, qui TIBI applaudunt, atque gratulantur. Itaque TIBI de pulcherrimis in rerum scientiis medicarum ex animo gratulor progressibus, quorum, quod publici iuris fecisti nitidissimum scriptum TVVM pathologicum, quodque certissime et patriae TVAE ornamentum et magnum aegrororum solamen TE futurum esse praesagit, optimum est documentum. O quid huius generis amico acceptius, honorificentius, gloriosius! Habeo sane, quod de eo et mihi gratuler, laeterque de die, qui laudem ei atque gloriam ex scripti sui defensione adferet certissime. Ascende igitur, Praestantissime Doctissimeque Sandrart, Amicorum dilectissime, cathedram nostram cum praeside TVO, viro et optimo, et de nobis optime merito, defende scriptum omni iure TVVM eruditionis plenum. Viue, vale, et quod facis, fac, ut me ames! Dab. in Alma Fridericana XII. Calend. Ianuarii c1810ccLXV.

VIRO

 VIRO PRAENOBILISSIMO
 C A N D I D A T O
 RESPONDENTI DOCTISSIMO
 A M I C O O P T I M O

S. P. D.

I. M. MACKEPRANG,

HOLSATVS - DANVS.

OPPONENS

Difficile sane, Candidate dignissime, verbis exprimere, quantum me semper delectauerint insignes ingenii TVI, eruditionis, pulcherrimarumque virtutum dotes, quibus in TVI amorem, et admirationem omnium animos pertraxisti, Non possum igitur a me impetrare, vt inter eos desiderares qui TE de hocce erudito et publico industriae TVAE specimine gratulantur. — TE non primoribus, vt aiunt labris Medicinam delibasse testatur disertatio haec TVA doctissima, in qua opinionem omnium, quis, indefessa TVA scientias contemplandi eorumque veritates scrutandi industria non latet, longe multumque superasti. Cathedram iam adscendis, ac forti animo lucubrati- TVAS defendis. Laetus iam gratulor de palma, quam quisque dubiam reddere tentantium, (inter quos et me esse, gaudeo) dum erudite eos ac promte refellis, TVA refert. Maeste sic porro virtute TVA, inque orbis litterati emerge emolumentum. Secundet hunc in finem Summum Numen omnes TVOS conatus, eosque felici euentu coronet. Quod reliquum, de me habes, quod inter omnes qui TIBI bene cupiunt, nemini vnquam concedam. Vale. Dab. Halae die 24 Decemb. MDCCLXV.

F

- PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO SANDRART

S. P. D.

C. S. C. HERTZOG

OPPONENS.

Angustia temporis circumscriptus, paucis **TIBI** hoc eruditionis specimen gratulor. Quantum in studiis profeceris docet, ut confido, alacritas, qua has theses publice sub Praesidio famigratissimi Viri defendurus es. Gratias **TIBI** vero ago, quas debeo maximas, quod hoc luculento fiduciae **TVAE**, dum spartam opponentis in me contulisti, documento declaraueris, quam me ames. Sed quid de dissertatione dicam? thema adspiciam, ipsam tractationem qua parte velim considerem, conuenientiam, leporem, utilitatem, et dignam offendo grauitatem. Praeclarum sane opus diligentiae **TVAE** academicae (absit adulatio), **AMICE SVAVISSIME**, edidisti. Qui enim Pathologiam vel primis tantum labris attigerunt, ac sciunt quam ardua, quam obscura, quam incerta, ad agnoscendos morbos in ea inueniantur, facile mecum consentient, **TE** magnum beneficium arti medicae hac dissertatione praestitisse. Intimos mentis motus eruis, dum qua ratione morbi indolem inuestigare strenuus obseruator deberet, ostendere satagis. Bene agis! quod in ea re studium operamque collocas. Gratulor ergo **TIBI**, gratulor **TVIS**, quos honoris causa nomino, Parentibus! Summum, quod veneror, **DEI NUMEN**, quae fecisti, quae facis, quaeque moliris, ac cogitas, fortunet, ad nominis sui gloriam cuncta dirigat, gubernet. Vale mihi que fauc. Dabam Halae Magdeburg. ad diem **xx. Decembr. c1010cclxv.**

MON-

MONSIEUR
ET TRÈS CHER AMI,


Comme un lien d'amitié nous a unis de puis long tems, et Vous
Vous produisez à present par une si docte dispute, je uiens pour
joindre mes acclamations de joie aux autres, Je Vous felicite de ce que
Vous donnez une preuve eclatante de votre erudition, presage, que
Vous en recuillerez un jour les fruits. Ce que Vous souhaite avec em-
pressement

MONSIEUR
ET TRÈS CHER AMI,

Halle
le 24 Dec. 1765

votre très - humble Serviteur
et Sincere Ami

JEAN FREDRIC HECHT
Candidat en Droits.



MONSIEUR
ET TRES CHER COUSIN,

C'est assurément plus que les liens d'une amitié étroite, ce sont ceux du sang par lequel nous sommes liés des notre naissance, qui m'appellent en ces Lieux, pour Vous temoigner la part que je prens à tout ce qui Vous intéresse personnellement, à beaucoup plus forte raison donc je m'empresse à le faire dans un jour où Vous allés presenter devant les yeux d'une assemblée aussi illustre qu'honorable, les fruits de Vos études Academiques par une Disputation solennelle. Tirés-en, mon très-cher Ami, les honneurs qui Vous sont dûs, à cet égard, et agréés les felicitations sinceres d'un parent qui n'a d'autre plaisir que de se dire le Vôtre. Receuillés jusqu'à l'âge le plus avancé, par une Vie des plus heureuses, les doux fruits de Vos travaux. Continué à m'honorer du Titre d'un Ami fidele et soyés persuadé que ce ne sera, qu'avec la fin de mon existence que je cesserai de me dire,

MONSIEUR
ET TRES CHER COUSIN,

Leipzig ce 18^{me} Decembre
1765.

Votre très humble serviteur
et fidele Ami

GEORGE PHILIPP SANDRART
de Magdebourg.

00 A 6281

ULB Halle
002 828 12X


3



so

Reha ✓





20

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

ACADEMICA
ENS

ORIS
N ABDOMINE

T MOLA COMPLICATI
M NOTABILEM

A M
S I D E

ATQVE EXPERIENTISSIMO
I N O

NIETZKI

MNI HONORIS CVLTV
VENDO

LIDERICIANA

MBR. c1010cclxv.

Q. C.
DEFENDET

RESPONDENS

NIEL SANDRART

ADIENSIS.

D SALAM

R T I A N I S.

Farbkarte #13

Inches

Centimetres